



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ex Illvstrissimo Cardinali Bellarmino Epitome  
Controuersiarum Omnium huius Aeui  
Lvthero-Calvinisticarvm Sub diuersis Titulis bis  
Quadripertitis digestarum**

**Coppenstein, Johann Andreas**

**Mogvntiae, 1624**

XXIX. Praesidere Concilio cuius est proprium: & quibus conditionibus?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11726**

pturam non allegavit. 3. Demum, interdici noluit vsum vxorum ante Sacerdotium aut Professionem ductarum; sed postea. 4. Adde: Idem Concilium can. 3. contrà statuit, quam sentiant Luthero caluinistæ: scilicet. Nedomi habeant Sacerdotes fœminas, nisi matrem, sororem, vel amitam.

Neque Papa tenetur sequi partem maiorem suffragiorum vt Præses: quia est Princeps Concilii absolutus, non Præses solùm; ab illo autem pendet confirmatio decisionum.

### Q V Æ S T I O XXIX.

*Præsidere Concilio cuius est proprium?  
Et quibus conditionibus?*

**L**VTHERO-CALVINISTÆ contendunt esse Imperatoris solius, aut eius Legati: Ita Magdeburg. Cent. 4. c. 7. Calvinus Inst. 4. c. 7. §. 1. Molinæus, Brentius. &c.

SVASIONES afferunt vanas, apud Bellarminum c. 20.

**A**VTOR. I. Nullus Papa generalibus orientis Conciliis interfuit per se, sed per Legatos: Et Imperator Episcopos conuocabat præcipiendo; Papam verò inuitabat. Cur? An, quòd Caput sequi membra indecens? An, quòd Imperator sedem teneret in iis primam; etsi non vt Iudex?

II. Papa iure solus præsidet Conciliis. 1. Quia ipsi dictum, *Pasce oves meas*, vt Pastori Pastorum. 2. Ita praxis habet. Act 15 Petrus in Concilio primus surgit, loquitur definit: omnes aut S. Hier. sententiam eius sequuntur. Sic in octo generalibus Concil. vsuratum à Papis, apud Bell. l. 1. de Conc. c. 19. Menda-

cia Luthero-caluinistarum vide in *Anti-papista mend. part. 2. q. 3.*

III. Si quando Imperatores, aliue sæculares appellationes, lite (que admiserint in causis Ecclesiasticis; nunquam eiusmodi iudicia pro legitimis sunt habita.

IV. Plebi item nunquam in publicis Conciliis aut Disputationibus permillum est iudicium publicum de fidei Quæstis: Priuatum suum semper cuique liberum fuit. Ex quibus historica patent mendacia Sectariorum.

II. LVTHERO-CALVINISTÆ requirunt tales Concilii Conditiones. 1. Vt irritentur Acta Tridentini.

**A**T, prius legitimo iudicio condemnatur, alio antè Concilio examinatum.

II. Concilium fiat in Germania, vbi litte exortæ sunt.

**A**T, non fiat ibi, vbi hæretici prævalent.

III. Papa nec indicet Concilium, nec præsit ei.

**A**T, in possessione huius-juris iam fuit ab 1500 annis.

IV. Sententiæ ferantur è sola Scriptura, non ex Traditionibus aut Canonibus.

**A**T, ita nunquam ad finem controuersiarum perueniretur.

V. Decisio fiat iuxta Scripturam, non iuxta pluralitatem suffragiorum.

**A**T, Scriptura vtrique prolata controuertitur.

VI. Papa absoluat Prælatos iuramento, quo sunt obstricti ad fidelitatem.

**A**T, tunc prius deberet legitimè deponi.

VII. Confessionistæ ius habeant æquè ac Papistæ decidendi sententias.

**A**T, reorum est accipere, non ferre

scilicet.

sententias: se tamen purgandi, suaque probandi facultas eis ter est facta à Concilio. Sess. 13. 15 & 18.

VIII. Detur saluus conductus ab Imperatore Personis, ne puniantur; & Causæ, ne damnetur, et si defendi nequeat.

AT, Conductus saluus ter oblatus est: cætera sunt ridicula & absurda postulata.

AVTOR. **CONDITIONES** Conciliorum legitime sunt. I. Ut quatuor, Eucatio sit generalis ad omnes prouincias. 2. Nullus Episcopus verus excludatur, nisi excommunicatus. 3. Adsint per se, vel alios Patriarchæ quatuor. 4. Saltem ex maiore parte prouinciarum Christianarum adsint Episcopi.

### QVÆSTIO XXX.

*An Conciliis legitima, & adprobata sit infallibilis Autoritas, ut errare non possint?*

LUTHERANI & CALVINIANI pernegant.

SVADERE nituntur. I. CALVINVS *Instit. l. 4. c. 9. § 3. &c.* Scripturas crepat, quibus omnes Pastores, Sacerdotes & Prophetæ arguuntur improbitatis, ignorantie, & erroris.

AT, ait *August. de Unit. Eccl.* propter quosdam malos reprehenduntur sapè & boni. Ut *Phil. 2. Omnes, quæ sua sunt, querunt.* Dein: Ecclesiæ & Synagogæ diuersa est ratio.

II. Errata sunt Conciliorum plura: vt *3. Reg. 22.* Concilium 400. Prophetarum Et, *Ioann. 9.* Iudæorum Concilium præside Caipha: Hæc Calvinus. *Lutherus* affert Concilium Apostolorum *Act. 15.*

AT, ij Prophetæ erant falsi: & Iudæi

subordinarant falsos testes Concilio factum tumultuario, non iusto. Plura *Bel. larminus l. 2. c. 8.* historica, sycophanticè allata refutat.

AVTOR. I. Conciliorum permagna est diuersitas. Generalia adprobata sunt duodeuiginti: Reprobata octo: Adprobata partim, partim reprobata sex: Nec adprobatum, nec reprobatum vnum Pisanum.

II. De fide est, Concil. gen. confirmata per Papam, errare non posse in fide seu moribus. I. Quia Christus interest iis. *Matth. 18. Vbi sunt duo. &c.* Vide *Antichristum part. 2. quæst.*

III. Quia Ecclesia nequit errare: *Matth. 16. Porte inferi non praual. &c.* Attota formalitas Ecclesiæ est in Prælati: Quare neque hiritè congregati errare queunt. Accedit, quòd repræsentant vniuersam Ecclesiam, proindeque habent consensum eiusdem. Vnde, *3. Reg. 8. cœtus Procerum cum Salomone congregatus dicitur tota Ecclesia Israël.* Ita S. Patres.

IV. Quia, Papa non potest errare in fide. *Luc. 22. Rogauit pro te. &c.* de hoc a lubi. Ergo nec errare potest Conciliū à Pontif. confirmatum.

V. Quia, Episcopi sunt habendi vt Pastores, audiendi vt Magistri, sequendi vt Duces. *Luc. 10. Qui vos audit. &c.* *Heb. 13. Obedite Præpositis:* *Act. 20, Eph. 4.* dicuntur Pastores, ideò, vt non circumferantur omni vento. Item Doctores, *Matth. vlt. Docete omnes gentes. &c.* Item speculatores: *Ezech. 33. Speculatore domui Israël dedi te.* S. Patres vocant Episcopos *Speculatores & oculos, & Patres.* Hosce cum sequi iubeamur à Deo, si se felle-